

1325 sternati confestim ad se tuendos aliquot navigia quæ ad manus erant, cemento aliaque graviore materia repleta, ante oppidum deprimunt. Justinianus nihilominus classem ad Peræ oppugnationem convertit, castellis bellicisque machinis in navibus adversus oppidanos dispositis: quod ipsum conspicati Ligures (quia ingens ab hoste sibi periculum imminere videbant) ab omni vi in preces versi Venetum orant, ne pergat oppidum oppugnare, paratos esse se illata a suis damna Veneto nomini persolvere, ac quicquid in tam numerosa classe ornanda esset publice collatum. His conditionibus pax Perensibus reddita, classisque incolumis domum reducta. Nova Cretensium defectio in hæc fere tempora incidit, aut certe non multo post. Justinianus, qui Peram Venetas triremes novissima in Græciam expeditione admoverat, Ducario nomine insulæ præsidebat. Is, contractis ad novos insulanorum motus viribus, eam mira celeritate compressit: Cretenses metu perculsos in fidem recepit. Hæc in Græcia. In Italia vero cum Patavinis actum de Brentæ fluminis alveo, cursu paululum averso ad mare derivando. Premebantur Patavini ea tempestate Mastini Scalani armis, quo bello ut vicinam urbem Veneti levarent, magnopere conati sunt, obliti prorsus pristinæ injuriæ, suorum temporum novitate a Patavinis acceptæ: siquidem civitate Clementino interdicto laborante, nullius gentis opes magis rei Venetæ infestæ, quam Patavinorum, fuere. Et quia pax interim nulla secuta est, Patavini Scalanis armis domiti servitutis jugum acceperunt. Verum non prius est a Venetis cessatum, quam tyranno ex illorum cervice depulso, pristinam Patavini libertatem recipere, civitatis administratione Marsilio Carrario permessa, qui postea in Venetorum amicitia studiose perseveravit. Hæc domi forisque Superantio Duce gesta. Sunt qui conjuratum a quibusdam in Rempublicam hoc Principe dicant: quod apud diligentiores non reperio. Ea administratio annos sexdecim, menses sex habuit. Situs est in eo Divi Marci facello, ubi baptismi lavacrum visitur.

*Cretensium
rebellio con-
tinuo op-
pressa.*

*Veneti Pa-
tavinis ser-
vutis ju-
gum iterum
exemerunt.*